



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Vdalrivcs Episcopvs Lavsanensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. VDALRICVS

EPISCOPVS LAUSANENSIS.

1006, XXXII.

Tabula Andechsen-
ses. Stumpfius l. 3.
p. 270.
Sangallensis.
Bruschius.



Natus traditur ex Hildebrando dynasta Andechsenfi (quem alij Sueuum faciunt) & Regarda principe Boiorum matre Hiltegardis Augustæ Caroli M. vxoris tertio loco ductæ, & Adelindis. Vdalricum hunc Lausanæ fuisse pontificem tabulæ Andechsenfes & Stumpfius testantur. Stumpfius hunc syllabum Episcoporum Lausanensium ex ipsis monumentis Lausanensis Ecclesiæ contexit, docetque primum ex Auenticorum episcopatu natum esse Lausanensem, primumque Lausanensium & vltimum Auenticorum fuisse Marium, anno 581. cœpisse, anno 601. delisse. Huic Lausanæ successisse Manerium, Egelolfum, Ericium, & tempore Caroli M. nostrum Vdalricum Andechsensē. B. Bonifacium Episcopum Lausanensem Molanus in Natalibus SS. Belgij refert xix. Febr. Insignia eius episcopatus videbis apud Stumpfium ibid. Sangallensis in vita Caroli M. hæc de illo, *Ex certis autem causis quibusdam plurima tribuit, videlicet Vdalrico fratri magnæ Hildigardæ genitricis regum & imperatorum. de quo, cum post obitum ipsius Hildigardæ pro quodam commissio à Carolo viduaretur honoribus, quidam scurra in auribus misericordissimi Karoli proclamauit. Nunc habet Vdalricus honores perditos in Oriente & Occidente defuncta sua sorore. Ad que verba illacrimatus ille pristinos honores statim fecit illi restitui.* Facit huius Vdalrici mentionem Bruschius in stemmate Hildegardis Caroli M. vxoris. *Hildebrandus, inquit, illa ducta vxore Regarda Bauara excepit ex ea.*

D. Hildegardin anno 732. in arce Andechsenfi ipsa die S. Sabina vxorem Caroli M. &c. fundatricem Monasterij Campidonensis.

D. Adelindin natã in arce Andechsen deponsatam Domino Orboni Comiti Tra-gendino & Caldariensi fundatricem amplissimi Canonissarum Collegij Bucham-giensis prope Kiberacum sitã.

D. Vdalricum gemellum cum D. Hildegarde eodem die natum, qui Episcopus Lausana designatus legitur. De hoc Sangallensis in Carolo M. & Munsterum in Campidona, Crusius in Sueticiis.

S. SEBAL.